

MEISNE

1019

OLL

NIEN-



Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

Comparati mihi
Witzeb.
p. mat. 12. q.
p. hinc. 4. q.
Al. Joh. Reibel.
1624.

COLLEGII
DE SACRAMENTIS
Disputatio Secunda

De

SACRAMENTO
RUM CAUSA EFFICIENTE
principali, & ministeriali seu in-
strumentali,

Quam

Annunte JEHOVA

SUB PRÆSIDIO

Dn. BALTHASARIS MEISNERI
S. S. Theol. D. & P. P.

In Collegio privato examinanda
proponit

CHRISTIANUS JENTZSCH, Oschatzi
ensis Alum. E. S.

Habebitur die 30. Julij, horis pomeridianis
in Auditorio minori.



WITTEBERGÆ,
Ex Officina Johannis Gormanni,
ANNO M. DC. XX



*Magnifico, Nobilissimo, nec non virtute,
Sapientiâ, prudentiâ, multoq; rerum
usu præcellentissimo,*

**DN. SEBASTIANO FRI-
DERICO à Rötteris / Hæreditario in
Sitta & cæt: Serenis: ac Potentissimo Saxo-
nię Electori à consilijs aulicis, & protosy-
nedrij Ecclesiastici Dresdensis præsi-
di dignissimo &c. Domino
ac Mecænati suo æta-
tèm colendo**

*Periculum hoc Academicum honoris
ergo dicat, consecrat*

**CHRISTIANUS Jenksch/
Auctor & R.**



WITTEBERG
Ex Officina Johannis Gommarius
ANNO M. DC. XL.

THEESIS PRIMA.

Sacramentorum in genere definitio-
nem tum ὀνομαστικῶν tum πρᾶξ-
ματικῶν recte excipit Ἀγορεύσις
causarum illorum, & primo quidem
causæ efficientis principalis, & ministerialis
seu instrumentalis, de quibus utriusq; in presen-
te disquisitione, de reliquis in sequentibus.

I. Illa nimirum efficiens principalis non
est, nec esse potest alia, quam solus Deus, ut patet
ex singulorum sacramentorum institutione. Gen.
17. Ex. 12. Matth. 26 & 28.

III. Addimus autem sequentes rationes. 1. In
Scriptura dicuntur Apostoli tantum ministri &
dispensatores mysteriorum DEI. 1. Cor. 4. v. 1. Non
igitur instituerunt ipsi, sed duntaxat administra-
runt Sacramenta à Deo instituta.

IV. 2. Sicut in nullius hominis potestate est,
novos fidei articulos condere: sic nec penes nullum
hominem residet ea facultas, ut nova possit Sa-
cramenta instituere.

V. 3. Idem confirmat singulorum descriptio
in sacris literis annotata.

VI. 4. In Sacramentis promittitur & offer-
tur gratia donumq; justitiæ, qualia prestare non
est creaturæ, sed solius DEI.

VII. 5. Sicut Deus est autor immediatus ver-

bi pradicati, ita & visibilis, quoniam pari pas-
su haec ambulant, & utrumq; medium est offeren-
di & conferendi gratiam,

VIII. 6. Confirmatur & hoc testimoniis
veterum. Cypri. serm. de abl. ped. Ipse summus
sacerdos sui est sacramenti autor & institu-
tor. Ambro. l. 4. de Sacram. c. 4. autor sacramen-
torum quis est nisi Dominus Jesus? De cae-
lo sacramenta ista venerunt. Et Thom. de Aquin.
Institutio Sacramentorum est excellentiae,
potestatis & maiestatis divinae.

IX. Interim non negamus promulgationem
istius institutionis ab alio fieri posse. Sic agni pas-
schalis institutio per Moysen promulgata fuit po-
pulo Israelitico Ex. 12.

X. Neq; solum instituit Deus Sacramenta,
sed etiam ea dispensat non tamen immediate, ve-
rum per ministros Ecclesiae (si excipias primam
caenam ab ipso Christo administratam) cum
enim minister non suo sed Dei nomine agat: nec
suum aliquod, sed alienum beneficium dispenset,
ideo principalis Sacramentorum dispensa-
tor recte statuitur Deus.

XI. Ex hoc fundamento sequentia extrui-
mus *no eis potest.* 1. Pontifex Romanus non po-
test instituire Sacramenta vera, imo nulli creatu-
ra hoc competit, quippe cuius non est offerre vel
conferre gratiam & salutem eternam.

XII. 2. Quaecunq; dicuntur Sacramenta, quo-
rum tamen nequit ostendi institutio, immediate
& Deo facta, ea non sunt Sacramenta.

13.3. Nov

XIII. 3. Non potest nec debet humana au-
toritate quicquam mutari vel dispensari in Sa-
cramentis. Ejus n. solius est mutare, cujus est in-
stituere. Qui n. in Sacramentis aliquid mutat, is
divina celestis regis sigilla corrumpit.

XIV. 4. Sacramentū est ritus stabilis fixusq.,
quem tam diu in usu ordinario esse oportet, quam
diu manet fœdus, ad quod ordināte Deo pertinet.

XV. 5. Sacramentorum virtus & efficacia pen-
det ex divina institutione & ad Deum autorem
unicè referenda est.

XVI. Hoc loco non immeritò queritur, an
ab institutione & dispensatione Sacramen-
torum N. T. assumpta humana Christi sit ex-
cludenda? Nos statuimus Christum *Ἰσδὺς Ἐπι-
στού* tam in institutione, tum in dispensatione Sa-
cramentorum N. T. presentem adesse, & opera
mediatoris juxta utramq. naturam exequi: jam
verò officium mediatoris non solum complectitur
acquisitionem, sed & applicationem gratiæ.

XVII. Illa applicatio gratiæ sit per verbum &
Sacramentis, à quorum institutione Christum se-
cundum humanam naturam excludere, est unio-
nem personalem divinæ & humanæ naturæ sol-
vere, & regulam illam: quod in operibus me-
diatoris, utraq. natura agat quod sibi pro-
prium est cum communicatione alterius:
plane evertere.

XVIII. Gryneus quidem post longam tergiver-
sationē concessit: Deum Christum Dei & Mariæ
filium esse autorem Sacramenti. Verū si Calviniani

Deum suam velint $\Phi\acute{\upsilon}\lambda\alpha\tau\eta\omega$, statuere coguntur,
Christum secundum humanam naturam
ab institutione & administratione Sacra-
mentorum secludendum esse.

XIX. Contra Bellarminus Christo ut homini
hanc potestatem principalem adimit, sic enim
scriptitat: causa instrumentalis conjuncta
est Christus ut homo. Christi enim hu-
manitas est instrumentum conjunctum
divinitati hypostaticè, & ideo Christo ut
homini tribuitur quaedam potestas mini-
sterialis.

XX. Verùm insigniter errat Iesuita, quod ut
demonstremus, duas adducimus regulas Theolo-
gicas:

1. Actiones sunt totius suppositi.
2. Officia mediatoris & sunt communia utriq; in Christo, natura.

XXI. Hinc ita argumentamur: Instituire
Sacramenta est actio, & quidem actio Christi,
quã mediator est, siquidem ad mediatoris offi-
cium spectat Ecclesie certa bona legare. Et insti-
tutio Sacramentorum utriq; nature tanquam
causa efficiendi competit, & p. c. humanitas Chri-
sti non ministerialis sed potius principalis
causa Sacramentorum nominari debet.

XXII. Hoc ipsum insuper apparet ex institu-
tione, ubi totus Christus sacramentorum autor
dicitur & quidem saepe describitur quoad huma-

nitatem in ipsis verbis institutionis. Et hæc de
causa efficiente principali.

XXIII. Sequitur causa minus principalis
seu instrumentalis, in qua duo considerata ve-
niunt. 1. Qui sint administrantes & di-
spensantes. Sacramenta. 2. Ipsorum qua-
litas.

XXIV. Primum quod attinet, dicimus
1. quod penes nullum angelum sit dispensare &
administrare Sacramenta, quia 1. Angeli non
sunt baptizati. 2. quia requiritur verum & natu-
rale verbum. Solus a. homo verè & naturali-
ter loquitur. 3. Soli etiam homines dicuntur
dispensatores mysteriorum Dei 1. Cor. 4. 1.

XXV. Objicitur quod Lutherus asseruerit
diabolum posse verum administrare Sacra-
mentum, sed respondemus: Lutheri mentem
hanc esse, si diabolus in forma hominis aliquan-
diu inter homines versatus, & ab Ecclesia ad pa-
storis officium vocatus predicaret & Baptizaret
juxta institutionem Christi, tum ejus baptismum
pro rato habendum. Et sic potestas diabolo non
per se competeret, sed ipsi tanquam homini
baptizato ab Ecclesia concederetur.

XXVI. 2. Statuimus quod etiam non omni-
bus promiscuè Ecclesie membris liceat ex equo
distribuere Sacramenta, sicut Anabaptistæ o-
pinantur.

XXVII. Sed solis Ecclesie ministris legitime
ad hoc officium vocatis. Quam assertionem no-
stram sic probamus.

XXIIX. 1. Quia ob id dicuntur dispensatores
mysteriorum Dei 1. Cor. 4. 1. $\sigma\omega\epsilon\rho\gamma\gamma\upsilon\tau\epsilon\varsigma$ coope-
rantes Deo 2. Cor. 6. v. 1. & Ἰησοῦς $\sigma\omega\epsilon\rho\gamma\omega\iota$ 1. Cor.
3. v. 9.

XXIX. 2. Quia conjuncta sunt officia, docere E-
vangelium & administrare Sacramenta Matth.
28. Unde regula. Qui tabulas proponunt, illi
& sigilla eorum addunt. Quorum igitur est do-
cere, illorum tantum est administrare Sacramen-
ta. Non autem omnibus conceditur potestas publi-
ce in Ecclesia docendi 1. Cor. 14. v. 4. 1. Tim. 2. v. 11.
E. non omnibus conceditur potestas publice in Ec-
clesia administrandi Sacramenta.

XXX. 3. Quia scriptura docet in Ecclesia esse
diversa officia, nec omnia omnibus convenire ut
Rom. 12. v. 4. 1. Cor. 12. v. 8. Eph. 4. v. 11. quam ratio-
nem habet quoque Bellarminus.

XXXI. Iste Iesuita lib. 1. de Sac. c. 27. & lib. 4.
de Eucha. c. 16. D. Lutherum flagellat quod docu-
erit: quem vis hominem baptizatum pote-
statem & jus habere administrandi Sacra-
menta. Sed novit Bellarminus nos haud quaquam
confusionem in Ecclesia probare, neque cuiquam ni-
si legitime vocato ad ministerium potestatem ad-
ministrandi Sacramenta concedere.

XXXII. Lutherum quod attinet, is 1. non
concedit omnibus baptizatis absolute & simpli-
citer potestatem administrandi Sacramenta, sed
loquitur de quadam generali aptitudine, quam

Cbr i.

Christiani ad Sacramenta respectu infidelium habent, quod per baptismum in fœdus Dei recepti idonei & apti sint ad hoc officium, si scilicet legitime vocentur.

XXXIII. 2. Lutherus agit de casu necessitatis extraordinario, quod in illo Baptismus à laico administrari possit.

XXXIV. Vide Lutheri epistolam ad pastorem, an paterfamilias in illis locis ubi Sacra cœna non administratur juxta Christi institutionem, sibi ipsi & familię suę privatim eam distribuere possit Tom. 6. Jen. Germ. f. 339. ad quam quæstionem Lutherus respondet negative addita ratione, quod paterfamilias vocatione & mandato tale quid faciendi destitutusur.

XXXV. Hoc loco notetur quod hætenus dicta de ordinario dispensationis modo accipienda sint, in casu enim necessitatis extreme patiuntur exceptionem, sic ut illi, qui non sunt ordinarij Ecclesię ministri possint Sacramentum initiationis administrare, sicut & Zipora circumcidit filiũ Exod 4. vers. 25. Cujus exemplum imitate sunt mulieres, quedam sub tyrannide Antiochena 1. Mac. 1. v. 63.

XXXVI. Vocamus autem extremam necessitatem, quando locum habet hoc Disjunctum: aut

B s huic

huic homini sine Baptismo moriendum,
aut à privato Baptismus est conferendus
Hæc de administrantibus ipsis.

XXXVII. Scquitur nunc qualitas ipso-
rum. Caterum cum minister non suo sed DEI
nomine in administratione Sacramentorum ag-
gat, ideo ejus probitas fidesve Sacramentorum
integritati & efficacie nec addet aliquid, nec de-
trahet juxta tritum illud: Vim Sacramenti
non mutat vita ministri.

XXXIIX. Fundamenta nostræ assertionis
contra Donatistas & Anabaptistas ponimus se-
quentia.

XXXIX. 1. Ministri Ecclesiæ in administra-
tione sacramentorum tantum agunt instrumen-
taliter. E. ipsorum indignitas nihil derogat effi-
cacie cause principaliter agentis, quæ solus est
DEUS. 1. Cor. 2. v. 7. Neq; qui plantat, neq;
qui rigat est aliquid, sed DEUS, qui dat incre-
mentum.

XL. 2. Indignitas ministri non derogat effi-
cacie verbi. E. nec derogat efficacie Sacramen-
ti. Connexio patet, quia utrobq; est par ra-
tio.

XLI. 3. Si indignitas ministri derogaret in-
tegritati & efficacie Sacramentorum, increduli-
tas hominum DEI fidem irritam faceret. Conse-
quens refragatur manifestè Apostolo Rom. 3. v. 3.
E. & antecedens. Connexio probatur, quia mi-
nister improbus verà & salvifica fide destitutus
est.

est, proinde si improbitas ministri tolleret effica-
ciam Sacramenti, utiq; aboleret fidem promit-
tentis DEI.

XLII. 4. Si integritas & efficacia Sacra-
mentorum penderet à dignitate ministri, fides
nostra fieret omnino irrita. Connexio proba-
tur, quia nemo nostrum certo scire potest, an mi-
nister gravioribus delictis sit inquinatus.

XLIII. 5. Qualitas ministri alienum the-
saurum distribuentis nihil derogat benignitati
domini vel bonitati thesauri. Iam vero mini-
stri Ecclesie in dispensatione Sacramentorum a-
lienum thesaurum distribuunt. Ergo ipsorum
qualitas indignitas scilicet atq; improbitas, non
derogat integritati & efficacia Sacramenti. Pri-
ma propositio manifeste patet exemplo famuli,
qui jussu domini erogat eleemosynam ei, quem li-
vore & odio prosequitur. Secunda propositio ha-
tur 1. Corinth. 3. v. 5. Quid est Apollo? quid
Paulus? ministri sunt, per quos credidistis. Cru-
nicuiq; sicut Dominus dedit. Corint. 4. v. 1.
Sic nos aestimet homo ut ministros Christi & di-
spensatores mysteriorum DEI.

XLIV. Haecenus quod diximus, id ipsum
etiam de intentione ministri contra Pontificios
argemus, eam scilicet ad integritatem &
fructum Sacramenti itidem, non requiri
absoluta necessitate, freti sequentibus ar-
gumentis.

XLV. 1. Quicquid ad integritatem Sacra-
men-

menti pertinet, illud aut est materia, aut forma, aut efficiens, vel finis. Intentio ministri nihil horum dici potest; non enim esse materiam formam aut finem per se patet ex institutione singulorum Sacramentorum ubi ne verbulum quidem habetur de illâ intentione. Neq; efficiens est, nisi quis asserere velit, Sacramenta non à solo Deo, sed quadantenus ab homine pendere, & ministrum plus ad Sacramentum, quam externum ministerium asserre. E. & cat.

XLVI. 1. Si Deus per verbum *αὐτὸν* causa efficax est fidei, aliorumq; spiritualium effectuum, quamvis absit intentio ministri, utiq; hoc ipsum per verbum *ὁμοῦ* absq; intentione ministri prestare poterit. At verum antecedens uti concedunt omnes, & patet ex exemplo ad Phil. v. 15. & seq. E.

XLVII. 3. Nulla erit consolatio, nulla certitudo de Sacramenti efficacia, si ab intentione ministri pendere illa dicatur. Nam unde certo scire poterò, ministrum, qui me baptizavit, debitam adhibuisse intentionem faciendi quod facit Ecclesia?

XLVIII. 4. Si efficacia Sacramentorum pendet ab intentione ministri, sequetur maiorem esse efficaciam ab intentione maiore, quoties enim vis agendi in causa augetur, effectus etiam major existit sic ergo Sacra cœna majoris vel minoris fructus foret, pro ratione ministri vel magis vel minus intenti.

XLIX. 5. Urgetur exemplum Zipora, quæ
ex iracundia & sic absq̃ intentione debita cir-
cumcidit filium Ex. 4. v. 25. quam tamen circum-
cisionem Deus ipso facto ratam & efficacem o-
stendit.

L. 6. Si ministri intentio ad Sacramenti in-
tegritatem necessario requiritur, consequens ne-
cessario erit incredulitate hominum veritatem
& efficaciam Sacramenti evacuari, siquidem ubi
non adest illa intentio Dei veritas & fides in Sa-
cramentis abolebitur. Sed consequens est absur-
dum secundum illud Rom. 3. v. 3. E. & anteco-
dens.

LI. 7. Si ad integritatem Sacramenti re-
quiritur intentio ministri, salus hominum pende-
bit ab arbitrio impij ministri, at consequens ab-
surdum. E. & antecedens.

LII. Tandem colophonis loco addimus pro
multis duo patrum testimonia idem confirman-
tia. Chryf. hom. 85. in Johan. Deus omnia
facit, sacerdos linguam & manus præbet,
neq̃ enim justum est propter alterius ma-
litiã ad salutem nostram accedentes of-
fendi. Et Aug. tract. 5. in Joh. Quid faciat
minister malus, ubi bonus est Dominus?
quid impedit malitiosus præco, ubi bene-
volus est iudex. Baptisma tale est, qualis il-
le, in cuius potestate datur, non qualis il-
le, per cuius ministerium datur.

53: Sa

LIII. Superest ut patris examine-
mus argumenta Bellarmini scripturae
fundamentis & patrum suffragijs desti-
tuti, quae pro intentione ministri affert l.
l.c. 27.

LIV. 1. Sacramenti forma debet de-
terminari, at nihil fingi potest quo de-
terminetur haec in differentia forma, nisi
intentio ministri, qui illa verba profert,
& cuius tota est actio. R. Determinatio
Sacramenti pendet non ab intentione
ministri, quae incerta, sed tum ex recita-
tione institutionis, quae docet evidenter
non vulgarem & humanam, sed singula-
rem planè ac divinam esse illam actio-
nem, tum ex testimonio totius Ecclesiae,
quae testatur actum istum esse Sacramen-
talem, ut ita duplex habeatur determi-
natio. 1. interna ex institutione, 2. externa
na ab Ecclesia.

LV. 2. Pastores sunt organa DEI &
similes iudicibus, qui jus dicunt in urbe
& gubernant populos. In talibus v. re-
quiritur prudentia & intentio. R. In
instrumentis dispositivis requiritur
quidem talis intentio, quales sunt consili-
arij

arii & iudices, sed non in mēre ministris
rialibus, que nihil agunt quam quiddam
externum.

LVI. 3. Verba Sacramenti sunt pra-
ctica, que non habent efficiētiā, nisi
dicantur ab eo, qui habet voluntatem fa-
ciendi, que verba significant. R. Sacra-
mentorum efficacia non dependet ab ho-
mine administrante, sed à D E O institu-
ente, qui in omni administratione inten-
dit efficax esse. Sufficit ergo intentio
divina, non requiritur humana nisi ra-
tione externi actus.


LVII. 4. Quedam absurda sequi
ait. Sed ad 1. Respondemus, lotionem
in nomine Trinitatis non esse Baptismum.
1. Quia mutantur verba & pro baptizo
dicitur lavo. 2. Quia talis balneator
non est ordinarius minister. Ad 2.
dicimus, quod non sequatur, quia non de
illo pane, nec de illo vino istius mensa lo-
quitur sacerdos. Ad 3. in conjugio ne-
cessariam esse personarum voluntatem
& interiorem intentionem, non autem
in administratione Sacramentorum.

LVIII. Hanc Agōneψiv doctrina
dupli-

*duplici concludimus. 1. Dei Φιλανθρωπίας
esse immensam, cum verbo ἀκυσῶ addi-
derit ὁ εὐτὸν, quo salutem hominum melius
consuleretur. 2. Deum solum nostrae salu-
tis esse autorem, cum solus nobis
largiatur & salutem & me-
dia salutis.*

**Cui DEO soli in excelsis
gloria.**






Inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



LEGII
AMENTIS
Secunda
MENTO.
EFFICIENTE
nisteriali seu in-
entali,
JEHOVA
ESIDIO
RIS MEISNERI
D. & P.P.
to examinandam
onit
NTZSCH, Oschatzis
n. E. S.
i, boris pomeridianis
io minori.
BERGÆ,
annis Gormanni,
DC. XX

